105805

Hermanni Torrentini inter gramma
ticos nostrę tempestatis viri doctissimi Commentaria
in primam partem doctrinalis Alexādri, cum voca
bulorum interpretatione, quibusdā mendosis
superuacaneis & obscuris versibus, uel
reiectis, uel in ueriores & planiores
mutatis. Demū diligenter ab
auctore recognita Addi
tis in margine termi
nationibus. cun
ctisq; vocabu
lis, cū dicti
onū in
dice

INDEX

INDEX

INDEX

DICTIONVM

INDEX

¶ Finis indicis huius operis

PRIMA PAGINA

Ot extāt edita iāpridē in Alexandrū nostrū cōmētaria, ut singularis impudētię uideri possit in eundē plura cō scribere, Verū tamē si quis literatorū diligenti examine cūcta ppēderit, facile cōperiet nihil adhuc pfectū consūmatūq; esse ꝓductū. Nā q̄ maxime & in usu & in pcio habētur Alexādri glossemata, atq; doctissimo uiro Ioanni synthen falso adscribūtur, q̄t erroribus scatēt, quot deliramētis referta sunt, Sunt quidē in illis bona q̄pplurima sed eo magis fallūtur adolescētes, utpote qui erronea nesciūt a ueris secernere, & salubribus quibusdā herbis allecti, cicutā & aconita minus euitāt, q̄ circa milies rogatus, ut studiosis adolescētibus utcūq; cōsulere, opusculū hoc sane laboriosum atq; utinā fructuosum diuino fretus auxilio elucubraui, In q̄ & si multa sunt ab alijs q̄q; tradita, tū & multa sunt ab alijs scriptoribus omissa, & nostro (ut ita dicam) marte ac labore parta. Vocabulorū p̄terea in quibus hallucinātur plęriq; diligēs ac uera hic habet ĩterp̄tatio, q̄ ꝓfecto grāmaticę studiosis ē in primis necessaria, & a pluribus uel intermissa, uel q̄d deterius est inscitissime descripta. Postremo qm̄ omniū literatorū iudicio quidam uersus Alexādrini uel nimis obscuri, uel penitus falsi sunt, uel certe redūdātes atq; supuacui a nōnullis doctis uiris rogati adhortatiq; plęrosq; taliū uersuū uel sustulimus uel emēdauimus, quod alij quoq; ante nos facere conati sunt, sed nos partius id egimus & cautius, & ibi dūtaxat ubi operę pciū & maxīe necessariū uidebat̄. Timuimus em̄ ne hęc inuocatio multorū rep̄hēsionē incurreret, quātū nāq; p̄sagire dat̄ ab indoctissimis quibusq; noster hic labor uituperabit̄ atq; carpet̄, id q̄d parui equidē duco. Nā doctis & literatis hoībus opa nostra (quēadmodū spero) pbabit̄, cū ĩtelligāt nos utilitati publicę cōsulere uoluisse Quis em̄ iustus & prudēs rerū ęstimator ignorat q̄ pniciosū sit ingenia puerilia primitus aut falsis imbui, aut supuacaneis rebus distineri, distrahi aut confundi, adeo ut plęriq; stulta difficultate pculsi & in desperationē acti utilissimū saluberrimūq; literarū studiū deserāt & abijciāt? Hęc ita esse q̄cūq; fatebitur, sunt aūt certo scio pmulti, is quęso nostrę faueat industrię & ab impurissimis zoilis hoc opusculū uidicet Huius primę partis doctrinalis septē sunt capita, quorū primū declinationis nominū pronominumq; cōplectitur. Alterū heteroclita cōtinet. Tertiū cōparatiōes. Quartum genera nominū edocet. Quītū uerborū p̄terita atq; supīa declarat Sextū de ūbis anomal̄ & defectiuis ē, Postremū ūboꝝ formas explicat

Ectis as es a dat declinatio prima
Atq; per am propria quędam ponūtur hebręa — De prima declinatiōe

Prima declinatio tres habet terminatōes latinas & grecas. s. a. as. es. et unā barbarā uel hebraicā, scilicet am, ut adam & abraam, nec plura sunt talia

Declinatio

q̄ declinātur. Declinatio ē dictionū p casus in fine uariatio. Partes decliābiles sūt quattuor. nomē. ꝓnomē. uerbū & ꝑticipiū. Participiū habet tres decliatiōes sīles tribus primis noīm declinatiōibus, ideo nihil singl'ariter agitur de illis. Noīm declinatiōes sūt qnq; q̄ maxīe discernūtur p gtōs et dtōs singulares aut alios obliq̄s. Etiā discerni pñt p terminatiōes nt̄i, sed nō tā luculēter. Oīa in a desinētia nō neutri. g. sunt primę declinatiōis, ut poeta arca nauta. Neutra uero in a sūt tertię decli. p̄ter tria barbara, pascha māmona māna, q̄ primę sūt nec plura sūt eiusmōi, ut qdā falso scripserūt. Pascha tn̄ & māna etiā tertię decli. legūtur. In as termīata noīa primę decli. oīa sūt mascu. & oīa sūt ꝓpria uirorū. ut æneas dametas Isaias, p̄ter boreas & satanas, nā dorcas tertię non primę ē. Desinētia in es primę decli. oīa sūt, aut gręca, aut barbara sp̄q; mas. g. Eorum alia sūt ꝓpria noīa uirorū. ut alcides. anchises manasses, alia sunt appellatiua. ut ꝓphetes leuites moabites, q̄ etiā ī a desinūt scd'm latios. Multa tn̄ ꝓpria uirorꝫ in a, in as & ī es sūt tertię decli. ut atlas calchas lenas dares chremes herodes &c.

Poeta. Arca Arra Moabites

Poeta interp̄tat̄ latine factor, & ē q facit poemata. Arca. i. cista uel ubi aliqd includit̄. Inde arcula ꝑua arca. Arra ē pign⁹ uel nūmus q datur ī cōtractib⁹. ein gotzpfening. Iñ ꝟbū subarrare. i. p arrā firmare. Moabites uel bita. ē uir de regiōe moab. Moabitis moabitidis fēm eius est.

gtō et dtō ę Diphthongus est

Dans ae diphthongon genitiuis atq; datiuis

Gtūs et dtūs primę decli. desinūt in ae diph. ut musæ aulę caulę. Diphthōgus ē duarū uocaliū uim suā retinētiū in una syllaba cōplexio, & sūt. q̄tuor apud latinos. s. au. eu. æ & œ. ut aurū eurus musę cœna. Nota q̄ poetæ posuerūt ai gręcā diph. diuisim ꝓ ae. ut aulai pro aulæ. nepai ꝓ nepæ. aquai pro aquæ. Vir. Aulai in medio libabāt pocula bacchi. Lucre. Commoda p̄terea patrai prima putare. Cicero. Atq; oculos urget pedibus pectusq; nepai. Prudē. Nō dedignātū medice purgamē aquai. Itē noīa fe. g. in a apud ueteres habebāt as in gtō more gręco. ut apud Neuiū. filij terras. i. terrę. Vir. Nihil ipsa nec auras nec sonitus memor. Sic in usu ē familias pro familiæ, ut paterfamilias materfamilias &c. Nota q̄ hæc noīa una ulla nulla sola &c. nō habēt ae in gtīo & datiuo, sed ius ut ibi dicetur Vnus & ullus &c.

musa. aula Caula nepa. aura Patria

Musa ē carmē uel poetica dea carminis. Aula est domus principis. Inde aulicus qui moratur apud principē. Caula ē stabulū ouium. Nepa ē animal uenenosum cauda aculeata scilicet scorpio. Aura ē uētus aut splēdor aut fauor. Patria ē loc⁹ natiuitatis ut natale solum

Actō am raro p an en a

Am seruat quartus, tamen an aut en reperimus
Cum rectus fit in as uel in es, uel cum dat a grecus
Rectus in a greci facit an quarto breuiari.

Actūs noīm primę decli. desinit in am. ut cellā camerā peltā. Sed gręca

nomina primę decli.in as hñt in actõ am more latino, uel an ꝓducta mo re græco. Oui. Horriferũ cõtra boreã ouis arma ministrat. Idẽ Enean a io nocte dieqꝫ refert Et gręca nomina in es hñt an uel en, sed magis en. Vir. Anchisen facio certũ, Itẽ gręca nomina in a hñt an curtã. Vir in Ethna. Pelion ossa creat summus pmit ossan olymp⁹. Statius. Nãqꝫ ferunt raptã ꝓ priis æginã ab undis Sella ein stuol. Plau. Date isti sellã ut assideat. Cella ein kamer oder ein celle. Cellarius qui pręest cellis uel ꝓcurator peni. Camera ẽ testudo tẽpli ut domus. Pelta est paruũ & rotundũ scutũ. Boreas est uẽtus aquilonis. Ossa est altus mons in græcia. Aegina est nomen mulieris & insulæ.

Sella
Cella
Camera
Pelta
Boreas
ossa. ægina

Quintus in a dabitur, post es tamen e reperitur
A sextus, tamen es quandoqꝫ per e dare debes
Am recti repetes, quinto sextum sociando

vtõ a aliqñ ꝑ e Abltõ a

Vtũs hui⁹ declinatiõis desinit in a breue, nisi fuerit a nominibus in as, q̃ ꝓducũt a in vtõ. Abltũs in a ꝓductũ sꝑ desinit. Sed gręca in es qñqꝫ e habẽt in vtõ et abltõ. At noĩa in am desinẽtia in his duob⁹ casibus hñt am nã cũ sint barbara nõ declinãtur nisi in gtĩs & dtĩs, qñqꝫ etiã prorsꝰ sunt indeclinabilia. ut filius abraã. Fiũt etiã latina cum additur us. ut adamus abraam⁹. Baptista. Lanigenas abraamus oues ꝑ littora pascẽs. Sagena ẽ magnũ rete piscatorũ. Lagena ẽ uas in q̊ uiatores potũ deferũt. Fidelia ẽ amphora fictilis ein steinkruog. Persi. Tumet alba fidelia uino

Sagena
Lagena
Fidelia

Rimo plurali decet e quintoqꝫ locari
Atqꝫ secundus habet arum, nisi syncopa fiet.

Dentõ pl'a. primę de. Ntõ Vtõ e Gtõ arum

Ntũs & vtũs plr̃es primę decli. desinũt in ae diph. sicut gtũs & dtũs singulares. Gtũs aũt pluralis termĩatur in arũ, nisi fuerit syncopa quia tunc a & r subtrahũtur. ut celicolũ pro celicolarũ. æneadũ pro æneadarũ. Vir. Quis genus aeneadũ, quis troiæ nesciat urbẽ. idẽ. Celicolũ regi mactabã in littore taurũ. Sincope interp̃tatur cõcisio, & ẽ ablatio lrę uel syllabę de medio dictiõis cã metri. Nota hic ꝙ multa noĩa carẽt nũero plu. ut fama uita gloria &c. de qbus dicetur in heteroclitis. Itẽ mãna pascha et mãmona carẽt nũero plu. Basilica ẽ dom⁹ regis uel tẽplũ. Cataracta ẽ aquęductus. i. p q̊d aqua fluit cũ impetu. Est etiã ferratũ ostiũ pendẽs in portis ein schoszgatter. Palpebra e curta est pellicula sup oculũ. & ponitur pro oculo. Dolabra ẽ lata securis, uel ferramẽtũ planãdi ligna. ein schabe

Basilica
Cataracta
Palpebra
Dolabra

Tertius & sextus habet is, tamen abus habent hęc
Filia. nata. dea. liberta. equa mula. duæ. ambæ
His animã. dominã. famulã coniungit abusus

Dtõ et ablatiuo is.

Accusatiuis pluralibus as sociamus

Dtūs & abltūs plēs habēt is ꝓductū, exceptis octo noībus in uersu positis q̄ habēt abus, ut filiabus deabus. Sic etiā secūdū usū indoctoꝝ hñt aīa dña & famula, q̄ tñ melius faciūt is secūdū doctiores. Nota ꝙ sc̄d'm Lauren. uallē. nō sunt plura noīa quę habēt abus in hijs casibus, q̊d et Prisci. & Sulpitius approbāt, Focas grāmaticus adiūgit his asinabus, q̊d Valla negat, quia & in sacris lr̄is legit̄ asinis ab asina, Actūs in as ꝓductū desinit, ut ualuas maluas, Liberta est mulier quę fuit serua, sed est libera facta, Libertꝰ ē uir liber factꝰ ex seruo. Aīa ē substātia spūalis uiuificās corpus, & ponitur ꝓ uēto, ꝓ anhelitu & ꝓ uita. Valua ē ianua, & ꝓprie duę fores cōiunctę dicūtur ualuę, ut in tēplis & penarijs. Malua ē quędā hęrba mollis teuto. pappeln. Martialis. Vtere lactucis & mollibus utere maluis

Liberta
Anima
Valua
Malua

De secūda declinatiōe in ntō

R uel ir urq̧ uel um uel us aut eus pone secūda.

Secūda noīm declinatio sex terminatiōes habet. er. ir. ur. us. eus. um. Multa in er desinētia sunt tertię declinatiōis, sed omīa q̄ secūdę sunt mas. g. sūt ut ager caper magister &c. In ir tria sūt secūdę declinatōis, treuir. leuir. & uir cū cōpositis, reliqua sunt tertię. In ur unū tm̄ secūdę decli. est scilicet satur, alia sunt tertię. In us desinētia nō facile discerni possūt, nā multa in us mascu. g. sunt declinatiōis secūdę, multa etiā quartę, pauca tertię. Neutra uero in us omnia sunt tertię declinatiōis, pręter vulgus & pelagus q̄ secūdā declinationē habēt, In eus & um desinētia oīa secūdę sunt, si tamē declinātur. Nā centū & pedū sunt indeclinabilia, & nullius declinatiōis. Pedum est bacculus pastorū. ein hyrten stab, & Foca teste nō declinatur

Pedum

Gtūs hʒ i

I genitiuus erit Sed quando rectus habebit
Ir aut ur aut eus, genitiuus eū superabit

Gtūs noīm secūdę declinatiōis in i longum desinit, ut huius magistri. Sed noīa in ir ur & eus semꝑ crescūt in gtīo, quia gtūs illoꝝ ē una syllaba lōgior ntō, ut uir uiri satur saturi, Et nota ꝙ isti gtī breuiāt penul. syllabā Virgi. Saltus & saturi petito longinqua tarēti. Vir est homo masculus Semiuir est medius uir. Duūuir. i. unus de duobus uiris habētibus summā potestatē. Triūuir unus de tribus uiris summis. Prudē. Vltima sanguineus quassauit secla triūuir. Decēuir unus de decē uiris habētibus aliquā potestatē. Itē centūuir unus de centū uiris. Leuir est frater mariti uel uxoris, ein suuager. Treuir est aliquis de ciuitate treuerēsi Luca, Tu q̊q̧ lętatus mutari ꝑlia treuir. Satur. i. satiatus cibo. Vir. Ite domū saturę uenit hesperus ita capellę, Inde uerbum saturo as are. i. facio saturū. In psalmo Pauperes eius saturabo panibus. Tydeus est nomē uiri.

Vir.

Satur

Tydeus

Vm par fiet et us. sed quod fit in er uariamus.

Nomia in us & in um desinētia nō crescūt in gtō, ut hircus hirci circus

circi colū coli ſolū ſoli, Ab hac regula excipiūtur q̄dā noīa cōpoſita.ut mōſclarus iuſiurādū &c.q̄ creſcūt in gtō, Excipiūtur etiā hęc noīa vnꝰ ul lus nullꝰ ſolꝰ & totus,qm̄ creſcūt. Circꝰ ē locus rotūdus & circularis, ī q̄ fiunt ludi gladiatorij q circēſes uocatur. Hircꝰ ē mas caprarū teuto. ein bock. Circinus i curta ē inſtrumētū a cutū q̄ formātur circuli. ein circkel Colū ē uaſculū p q̄d fundit̄ liq̄r ut purget̄. ein ſeyhtuoch Vnde colare p fundere cauſa purgādi, ſyhen. Solū.i.terra. Naſo. Omne ſolum forti patria eſt ut piſcibus ęquor. Symbolū ē collatio uel cōtributio ut fit in cōuiuijs, ubi quiſq; dat aliquid. Terē. Pamphilus ſymbolū dedit, Ita dicitur ſymbolū fidei, quia quiſq; apoſtolorū vnum articulum contulit, Circus Hircus Circinus Colum Solum Symbolū

Er ſp iuncta ſuperabit .et er ſine muta

Noīa q̄ hn̄t ſp an̄ er creſcūt in gtō, ut aſper aſperi, proſper, p̄ſperi. Et noīa q̄ nō habēt mutā immediate an̄ er etiā creſcūt in gtō vt gener generi tener ri. puer ri. miſer ri. Et hęc noīa corri. penultimā in obliquis Mutę ſūt nouē lrē. ſcilicet. b.c.d.f,g.k.p.q.t. Aſper dr̄ nō planꝰ uel durus uel acutus uel amarus uel iratus. ſcharpff, Inde uerbū aſpero.i. aſperū facio Vir. Et glacialis hyems aquilonibus aſpat undas. Sta. Cōſtitit & ſacras ira uocibus aſpat iras. Exaſpero.i. moleſto uel iratū facio. Sapiēs. Maledictꝰ a deo qui exaſperat matrē. Proſper ē fortunatus uel fœlix. Vnde aduerbium proſpere ut eatis p̄ſpere. Proſperare.i. facere proſperū. ut deus proſperet opus tuū. Gener ē maritꝰ filiæ. Tener.i. mollis uel nō fortis. ut tener agnꝰ. Inde tenellus a um nomē diminutiuū. Puer ein kint, p filio & p famulo ponitur. Miſer.i. infœlix. Plau. Miſer ē hō qui amat. Iū aduer. miſere. Miſere uidere ſatis ē rogare. Miſellus diminutiuum.i. parum miſer Aſper Proſper Tener Tener Puer Miſer

St ſi pręſit genitiuus non ſuperabit

Huic norme ſuberit ternā ue ſequeſter habebit,

Noīa q̄ deſinūt in ſter nō creſcūt in gtīs. ut auſter auſtri. oleaſter. ſtri. ſurdaſter. ſtri, ſequeſter ſtri. q̄d ultimū nomē etiā tertiæ decli. ē. & tunc gtm̄ habet ſequeſtris. Nota q̄ plura ſūt noīa in er ſecūdę & tertię declina. ut mulciber cācer & iber. & ſcd̄m aliq̄s ludicer. Auſter ē uētus flans a meridie. ſuden vuynt, etiā ē illa pars mundi q̄ ē inter orientē & occidentem ut in euāgelio. Regina auſtri.i. ethiopiæ. Surdaſter dicit̄ aliquātulū ſurdꝰ Recaluaſter.i. aliquātulū caluus. ſ. qui caret capillis in anteriore capitis p te. Magiſter.i. qui docet uel regit. Sequeſter.i. mediator inter litigantes. ein ſchydman. Sequeſtrare.i. ſeparare.

Par eſt cum mute ſubit er per a dans muliebre

Hinc tamen excipias que de gero uel fero formas

Creſcūt quę dant us & adulter erit ſuperandus

Celtiber atq; lacer liber socer ac iber atq;
Presbyteri cum mulcibero memor esse memento
Dexter format eri poteris quoq; dicere de xtri

Noīa q̄ hn̄t mutā ante er,& formāt feīm gen⁹ per a,nō cresc̄ūt in gt̄o,ut
faber fabri,glaber bri.scaber bri.sacer pulcher.uafer eger niger piger a-
ter teter &c.Excipiūtur ea q̄ formātur a uerbis gero & fero. ut clauiger
corniger.laniger dapifer signifer opifer stellifer crucifer lucifer.&c quoq;
gtī cresc̄ūt.Excipiūt etiā q̄ habēt us,ut alter & uter,Itē adulter celtiber et
reliqua in textu posita,cresc̄ūt in gt̄is,quibus addunt̄ hęc quattuor gib-
ber ceter deter & exter.Dexter aūt habet dextri uel dexteri.Nota q̄ oīa
noīa in er hui⁹ declinatiōis q̄ habēt crescentiā.corripiūt e in obliquis.p̄ter
iber & celtiber,q̄,pducūt e in obliquis & er in rectis,Vir. Aut inpacatos
Faber — atergo horrebis iberos. Faber dicit̄ q fabricat nō solū de ferro,sed etiā
de ligno uel alia materia,vn̄ dicit̄ faber ferrari⁹ & faber lignari⁹.Etiā ca
Glaber — pitur adiectiue,Glaber.i.calu⁹ & sine crine.Iñ glabretū.i.loc⁹ calu⁹ in ca
Scaber — pite uel in agro,Scaber.i.sordidus & quasi scabiosus. Vafer.i.callidus Ci
Vafer — ce.Nō sunt in disputādo vafri. Vasramētū.i.calliditas .Apher. i. aliquis
Apher — de aphrica,Eger.infirmus uel nō cōtētus aīo.Caper ē hirc⁹.sed p̄prie ca-
Eger — strat⁹.Inde capra .A q̄ capella,q̄d ē magis in usu,& significat feminā ca-
Caper — pri.ein geysz.Ater.i.ualde niger.schvuartz,Atrare.i.facere atrū, Atra-
Teter — mētū.i,ater liq̄r q̄ scribit̄,& nō dicit̄ encaustū p atramētū.nā encaustum
Clauiger — significat inustū. Teter.i.turpis uel deformis ,Clauiger q gerit clauā. vn̄
hercules ita uocat̄.Oui.Emēsus lōgi clauiger orbis iter.Idē.Quātaq; cla
uigeri peātis herculis heres.vulgo etiā dicit̄ clauiger qui claues gerit, ut
Laniger — beatus petrus ē clauiger ethere⁹.Laniger qui lanā gerit ut aries. Setiger
Corniger — qui gerit setas.i.duros crines,ut porcus.Corniger q cornua gerit.ut bos
Belliger — Belliger qui bella gerit.Lactan.Belliger ad cęlos ampla trophea refers.
Signifer — Signifer qui fert signū bellicū.Lucifer.i.stella matutina quasi ferens lucē
Opifer — Opifer.i.adiutor uel qui fert opē.Salutifer.i.salutē ferens.Christus uenit
Letifer — salutifer orbi.Lœtifer.i.ferēs lœtū uel mortem.ut letifer arcus.Somnifer
Somnifer — somnū afferēs,ut somnifer potus,Caducifer.i.ferēs caduceum hoc, est
Adulter — uirgā pacis,Adulter qui uiolat matrimoniū,Celtiber aliquis de celtibe-
Celtiber — ria q̄ est regio hispanię.Iber.i.hispanus uel aliquis de iberia.Iberia ē regio
Lacer — q̄ & hispania uocat̄,Lacer.i,laceratus,uel qui lacerat.Liber adiectiuū sig
Liber — nificat nō seruū.Liber substātiuū significat bacchū.i.deū vini .Et p istis
Socer — duobus significatis prima pducit̄.& crescit in gt̄ō.Liber prima curta si
Presbyter. — gnificat corticē & codicē tūc nō crescit in gt̄ō.Socer est pater vxoris ein
Mulciber — schvueher.& refert̄ ad generū.Oui. Viuit̄ ex rapto,nō hospes ab hospite
tutus.Nō socer a genero.fratrū q̄q; gratia rara est.Presbyter gręce seni-
or latie.Sed gręce dicit̄ p̄sbyteros.Mulciber dicit̄ uulcanus i.deus ignis

scd'm poetas, Gibber qui habet gibbū.i, tumorem in dorso. Ceter. i. alius Virgi. Pars cętera pontū pone legit. Detero. i. detritus uel malus. Vñ deterior cōpatiuus. Exter. i. extern⁹ uel extrane⁹. Exter honos. ait Sta. Gibber Ceter Deter Exter

Cętera cū muta dic esse frequētius ęqua

Alia noīa hñtia mutā añ r faciūt gtm̄ ęqualē ntō. ut aper apri, coluber colubri. ager agri &c, Nota q hęc regula intelligit de substātiuis & q̄ nō hñt feim p a, alioquin esset regula supflua, ut fiber liber onager meāder &c. Aper ē siluester porcus. Vñ aprin⁹ adiectiuū. ut aprin⁹ callus. Coluber est spēs serpētis, quasi colēs umbras. Fiber ē animal aquatile. ein biber, Ager ē terra circa ciuitatē ubi arat uel pascit. uel pars ruris q̄ colitur Inde agell⁹. i. pu⁹ ager, Onager ē fer⁹ uel siluester asin⁹, Nā onos gręce dicit asin⁹, & agrios agrestis Vmber ē canis venaticus uel aliqs ex umbria Meander ē fluuius asiæ flexuosus & curu⁹.. Vñ ponit p flexura uel fraude. Prudē. O tortuose serpēs qui mille per meandros &c. Culter ein messer. Inde cultellus. i. puus culter. Cancer est animal aquatile octo pedibus etiā ē sid⁹ cęleste. Vir. Ethiopū uersemus oues sub sidere cancri. Est etiam morbus quidā, & p illo significato putatur esse tertię declinatiōis. Aper Coluber Fiber Ager Onager Vmber Meander Culter Cancer

Vnus & vllus vter & nullus solus & alter
Totus dāt in ius genitiuos addis alius
Namq tenet normam pronominis ista secūdā

Octo noīa in textu posita hñt ius in gtō. quia declinātur sicut pnoīa secūdę decli. Nota q oīa noīa adiectiua in us uel in er desinētia q̄ habent feim p a sūt scdę decli. pter hęc octo Vnus & ullus &c. q̄ habēt secundā declinationē pnoīs, apud ueteres tamē habebāt i in gtō. & o in dtō. quod Priscia. multis pbat exēplis, Terē. Quādoquidē tam iners tam nulli consilij sum, In euange. Dico uni uade & uadit, & alio ueni & uenit, ibi alio ē datiui casus. Nota q isti gti in prosa producūt i ante us pręter alteri⁹ q̄d corripit i, In uersibus aūt penultima ponit ad placitū. Corripis alterius sp producis alius. Rectus uult alius, sed uult gtūs alius. Vllus. i. aliquis. sed sēper ponitur uel interrogatiue uel cum negatiōe. ut ibi. Nō haberes in me potestatē ullam nisi tibi datū fuerit desuper. Vir. Non ulli pastos illis egere diebus. Vter est quis de duobus. Hora. Vter ē insanior horū. Vter etiā significat uas, sed est tertię decli. Ab uter fit neuter quod est nullus duorꝫ sed habet i in gtō. Nota q alter & alius ita differunt secundū Priscia. Alter dicitur de duobus, Alius uero de pluribus. Item alius in neutro genere habet aliud cum reliqua nomina habeant neutra per um. Vllus Vter

Cum dat ij bina iacitur quādoq suprema
Eus dat ei vel eos genitiuo more pelasgi

Noīa q̄ hn̄t duo ij in fine gtī,qn̄q3 abijciūt ultimū i p apocopen,ut antō
ni,p antonij,oci,p ocij.Et istud fit tm̄ in metris.Vir.Pauperis & tuguri cō
gestū cespite culmē.Idē Nec spes libertatis erat,nec cura peculi ,p peculij
& tugurij.Iuue.Antonii gladios potuit cōtemnere si sic.Subdit Alexāder
ꝙ noīa in eus nō solū habēt in gtō ei,sed etiā eos quia sūt græca noīa ,ut
tydeus tydei uel tydeos.tereus terei uel tereos.Statiꝰ.ij.thebaidos. Ty/
deos egregij perfossum pectus & arma.Martialis.Flet philomela nefas
incesti tereos,& quę Muta puella fuit garrula fertur auis

Tuguriū est domuncula rustica pastorū.Peculiū significat ,ppriū bonū
[Tuguriū] Religiosis nō licet habere peculiū.Inde peculiaris adiectiuū.i.,pprius
[Peculium] Tydeus & tereus sunt propria noīa virorum,& oīa in eus termina/
ta significāt uiros,& habēt grecā declinationē & latinam.

[Dtō & ab/latiuo o] Tertius o posuit sextumq3 sibi sociabit
Sed dabis i terno cū feceris us genitiuo

Dtūs & abltūs singulares scd'ę declinatiōis desinūt in o,pductū.ut ma/
gistro dn̄o.Excipiunt ea q̄ habēt us in gtō,quia illa in dtō habēt i, sed o ī
abltō.ut unus unius uni uno,Nota ꝙ dtūs in hac declinatiōe formatur a
[Bolus] gtō mutādo i in o,sed dtūs in i desinēs formaī a gtō deponēdo us ut totꝰ
[Dolus] totius toti.Alius tamē mutat us in i,quia habet alij in dtō,Bolus ē frustū
[Tholus] rei cōmestibilis.ein bysz.Teren.Doleo tantū bolū mihi ereptū e faucibꝰ
[Pertica] Dolus.i.deceptio vntruuv.Vir.Ille dolū ridens.Inde subdolus a um id
[Botulus] est callidus.Tholus est pertica in templo ad quā dona suspenduntur.Per
tica est longum lignū.ein reche.Botulus est farcimen de carne suilla . ein
buotvvurst,Inde Botellus idem.

[Actō um] Vm retinet quartus.sed neutris prouideamus
Primū cum quarto quintoq3 sono dabis uno

Actūs singularis scd'ę decli.in um desinit,ut scrupulū.scopulū Sed neu
[Scrupulus] tra notāda sūt q̄ sp̄ habēt actm̄ & vtm̄ similes ntō.ut uulgus pelagus &c
Nota ꝙ in omī declinatiōe noīa neutri.g.faciūt actm̄ & vtm̄ ntō similes
[Scopulus] in utroq3 numero,q̄ regula nullā habet exceptionē.Scrupulus est lapillꝰ
[Capulus] ī harena pedes ambulātiū ledēs,unde ponit ,p dubio uel molestia. Terē.
Vnus mihi scrupulus restat,qui me male habet.Scopulꝰ est mōs lapideꝰ
in mari uel ,ppe mare.Capulus ē q̄ capit uel tenet aliquid,ut capulus cul/
tri.eint hanthebe.Etiā est uas in q̄ cadauer sepelit.Temetū significat vinū
bonū.Temulentꝰ uinosus uel ebrius.Tomentū est lana q̄ detōdet pāno.
Tomaculū est farcimē factū ex epare suillo.ein lebervuurst.. Vulgus est
[Temetum] inferior pars populi.gemein.volck.Claudianus Mobile mutat semp cū
[Pelagus] principe uulgus.Pelagus est marc..

On iunges grecis menelaon erit tibi testis

Cum tenet eus rectus aliquando fit per a quartus

Quędā gręca noīa in us habēt on in actō more gręco, ut menelaus, menelaon. pgam⁹on. rhodus on. Vir. in. Ethna. Quis nō argolico defleuit pgamon igni. Oui. Ardet amore tui, sic & menelaon amauit. Psal. Dilexi mādata tua sup aurū & topazion, Addit Alex. ꝙ noīa in eus quādoq̃ faciunt actm̄ per a. ut orpheus orphea. tydeus tydea. Vir. Orpheaq̃ in medio posuit siluasq̃ sequētes. Hora. Quo teneā vultus mutantē protea nodo. Sta. Tydea magnanimū stimulis ingētib⁹ angūt. Nota ꝙ oīa hęc nomina & similia etiā faciūt actōs in um more latino, ut anteus tea uel anteū Vir. Antea sergestūq̃ uidet. Boeti⁹. Strauit anteū lybicis arenis. Pergamus est nomen urbis troianæ. Menelaus est nomen uiri qui fuit maritus helenæ. Topazius est lapis præciosus viridi colore. Pergamus Menelaus Topazius

Rectus in er uel in um similem faciet sibi quintum
Ex er quādoq̃ per metathesim reperis re
Recti diphthongon dabit eu quinto quasi græcus

Noīa scd'ę decli. q̄ desinūt in r lrām & in um faciūt vtm̄ similē nīō ut o magister, o uir, o satur, o eustochiū. Sed nōīa in er q̄nq̃ habēt vtm̄ in re p metathesim. i. per trāspositionē lrārū, ut o teucre p teucer, o timbre pro timber, Vir. Nā tibi timbre caput euādrius abstulit ensis, Itē nomina in eus diphthō. desinētia faciūt græcū vtm̄ eu. Oui. Quo fugis exclamo scelerate reuertere theseu, Idem. Flecte ratē theseu uersoq̃ relabere uēto Nota hic regulā de græcis vtīs. Omīa noīa gręca in s lrām desinentia cuiuscūq̃ declinatiōis faciūt vtm̄ deponēdo s. ut anchises o anchise, achilles o achille, panthus o panthu, melāpus o melāpu. Vir. Quo res summa loco panthu quā prēdimus arcem. Metathesis est spēs metaplasmi, quando literæ transponūtur causa metri. Euander teucer & timber sunt propria noīa uirorū. Dicit̄ etiā euādrus teucrus & timbrus. teste Prisciano. Metathesis Euander

Cum proprium dat ius tenet i quinto iaciens us
Vs mutabis in e, sed filius excipe fili
Quinto dant us & e populus fluuius deus agnus

Propria noīa in ius faciūt vtm̄ in i deponēdo us. ut fabi⁹ fabi, luci⁹ luci, laurētius laurēti &c. Alia noīa in us desinētia mutāt us in e, ut soci⁹ socie primari⁹ primarie. Excipit̄ fili⁹ q̄d facit o fili, tamē antiqui dicebant filie scd'm Prisci. q̄d nūc exoleuit, Itē de⁹ agn⁹ popul⁹ fluui⁹ hn̄t us & e in vtō Plura hijs addere nō oportet, nā qs legit ann⁹ chorus uel infern⁹ in vtīo Vulg⁹ aūt & pelag⁹ cū neutra sint e habere nō pn̄t, & ꝙ us habēt lupius patuit, ibi (Sed neutris puideam⁹) Nota ꝙ vtīs ppriȷ noīs in ius desinētis erit una syllaba breuior ntō, ut pōpeius est trisyllabum, ergo pompei

vtūs habet duas tm syl. Hora. Pōpei meorū primę sodaliū. Itē vulteius habet tres syl. vultei utūs habet duas. Hora. Durus ait uultei nimis attētus q̄ uideris. Caius ē dictio disyllaba, cai monosyl. legit̄ tn̄ caius p tres sylla bas. & cai in utō p duas. Martia. Peruigil in pluma caius ecce iacet, Idem Qd peto da cai nō peto consiliū. Caius q̄uis scribat̄ per c, tamē p g pfert̄

Căterius Căterius ē equus castratus. Lanius qui laniat carnes pecorū, & eas vēdit. Ta

Lanius bellarius q defert tabellas. i. eplas. Cemētarius q parat cemēta. i. lapides ce

Cemētarius dit. Statuarius qui facit statuas. ein bildhawer. Populus prima correpta si

Statuarius gnificat hoīes. Inde popularis adiectiuū. i. ptinēs ad populū. Populus pri

Populus ma lōga significat arborē quādā. & hoc habet e tm in utō. Naso. Popule viue pcor. Inde adiectiuū populeus, ut populea uirga, Vir. Qualis populea

Agnus mœrēs philomela sub umbra. Agnus ē fœtus ouiū. Inde agninus adiectiuū.

Deus Itē agnus habet feim agna. Oui. Et placeat cæso nō minus agna boue. Deus ē

Fluuius mēs uniuersi, uel oīm optimus maximus cōditor & rector. Fluuius est aqua sp fluēs. Inde fluuialis. i. ptinēs ad fluuiū. ut aq fluuialis ē melior stagnali

Pluralis numerus

Rimo plurali quīto simul i sociabis
Hos casus neutri quartūq decet per a poni

Ntūs & vtūs pl'ales scdę decli. desinūt in i pductū, ut palus pali. talus ta li. Sed noīa neu. g. faciūt ntm actm & vtm pl'es in a. ut fercula secula &c. Nota q ntūs & vtūs pl'es scdę decli. sūt similes gtō singulari ut clare patet Tn̄ deus habet duplicē ntm pluralē & vtm. s. dij & dei. similiter habet duplicē dtm & ablm. s. dijs & deis. Vir. Dijq deæq oēs studiū quibus arma tueri, Luca. Et ueniā meruere dei. Idē. O utinā cęliq deis herebiq liceret. Vir. Dijs aliter uisum ē. Nota q multa sūt noīa huius declinationis carētia nūero plurali. ut mūdus pōtus aurū argētū &c. ut dicet in scdo capi

Palus tulo. Palus ē crassus stipes. Vn̄ paxillus. i. puus palus. Qualus ē sporta. Qua

Qualus xillus uel quasillus. i. sportula. Talus est os quadratū etiā est tuber circa

Talus imū pedis ein enkel. Inde talaris ad talū ptinēs, ut tunica talaris. Ferculū

Ferculū est in quo fert̄ aliquid scilicet scutella, & ponit̄ p cibo. Etiā est sedile in quo

Sarculum portat̄ hō. ein rosbar. Sarculū est instrumētū fodiendi. Sæculū est tēpus

Sæculum humanę uitę, ut hoc factū est seculo nostro. Ephippiū ē sella equina ein sat

Ephippiū tel. Hora. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Dic nisi cōcisis orum fieri genitiuis
Tertius is finit sextūq sibi sociabit
Os faciet quartus nisi neutris a damus illis
Excipis ambo duo tamen hęc heteroclita pono

Gtūs pl'is huius declinatiōis in orū desinit, ut diuus diuorū, lituus orū. Sępe tn̄ abbreuiat̄ p syncopen. ut deū p deorū. diuū pro diuorum. lituum

ꝓ lituorũ,& hoc apud poetas.Vir.Chara deũ soboles.Idẽ.Diuum pater atq; hominũ rex.Insequit̃ clamorq; uirum stridorq; rudentũ.Luca.Cõcinuit stridor lituũ clangorq; tubarũ. Nota q̃ aliqui genitiui syncopãt etiã in prosa uel orõne soluta.ut deũ ꝓ deorũ.liberũ ꝓ liberorũ.nummũ ꝓ nũmorũ,denariũ ꝓ denariorũ.centenũ pro cẽtenorũ.duũ ꝓ duorum. Hęc apud Tulliũ & Liuiũ & Pliniũ sępe legũtur. Dtũs & abltũs in is ꝓductũ desinũt,Actũs aũt in hos ꝓductũ.ut uitulos catulos pullos.Sed accusatiuꝰ neutrorũ desinit ĩ a.ut prędictũ ẽ.Hęc noĩa ambo duo excipiũtur a duabus regulis.Primũ ab illa regula Primo pl̃i.&. Hos casus neutri.quia ntũs pl̃is istorũ noĩm desinit in o tã in masculi.gñe q̃ in neutro.Secũdo excipiũtur ab illa regula.Terti us is finit.Nã dtũs & abltũs istorũ desinit in bus.Sed de illis dicet̃ in heteroclitis.Diuus est deus uel beatus ut diuus paulus,diua barbara.Inde adiectiuũ diuinus a um.Lituus ẽ tuba curuata q̃ utebãtur in pl̃ijs,Nũmus ein pfenning.Inde nũmatus.i.multos nũmos hñs.Nũmulus.i.paruus nũmus,Nũmularius ein vuechsler. Denarius est nũmus argẽteus ualẽs decẽ nũmos æreos .Denarius etiã ẽ adiectiuũ,sicut binarius ternarius &c,ut numerus denarius.i.decẽ rerum, Catulus nõ solũ dicit̃ iuuenis canis,sed etiã fœtus cuiuslibet feri aĩalis. ut catulus leonis.catulus lupi,catulus muris uel murinus.Pullus est fœtꝰ auiũ,& omniũ mãsuetorũ aĩaliũ p̃terq; boum & ouiũ,ut pullus anatis anseris & galinę,Item pullus equi asini & muli.Dicit̃ etiã pullus anatinꝰ, pullus anserinus,pullus gallinaceus.pullus equinus &c.

Diuus
Lituus
Nũmus
Denarius.
Catulus
Pullus

o Dabit eq; vel a tibi declinatio terna
C iunges a vel e d vult i sola præesse
L cum vocali patietur qualibet addi
N v non iunge reliquis vocalibus adde

Tertia declinatio

Hic ponũtur terminationes noĩm tertię declinatiõis. q̃ scd'm Prisci.& Donatũ sũt septuaginta octo uel pauloplures,Tertia declina.habet tres termĩatiões uocaliũ.s.a ut poema.e ut monile.o ut homo.Lr̃a c facit duas terminatiões.s.ac & ec,ut lac halec,D facit unam.s.id ut dauid. Priscia. dicit ud sicut bogud,quod est nomẽ uiri.Donatus aũt non ponit d inter lr̃as terminales tertię decli.eo q̃ eiusmodi noĩa nõ sunt latina.sed barbara.Lr̃a termĩalis l facit quinq; terminationes.s.al,el.il.ol,ul.ut sal fel nil sol consul.Nota q̃ tertia declinatio habet xi.lr̃as termĩales,q̃ sũt,a,e.o,c,d,l,n,r,s,t,x,Donatꝰ dicit decẽ,q̃a nõ ponit d,ut p̃dictũ ẽ.Litera terminalis dicitur vltima litera dictiõis,Sed termĩatio dicit̃ ultima litera cũ uocali p̃cedẽte,Litera n facit quattuor termĩatiões.s.an,en,in,on,ut titan semẽ delphin dęmon.Et hæc nomina plæraq; sunt græca

Cuilibet r iunges,S insuper omnibus addes

B quoqꝫ pręposita datur omnibus s sociata
Vls ut puls sequitur. sed & ems vt hyems reperitur
N si pręponas s omnibus addere debes
Non u, sed reliquis s p pręeūte locabis
Non i. sed relique pręeūt r s sociate
Aus Aes. Dicimus æs ut præs. aus ut laus iungere debes
Irps. T Irps ut stirps iungis. u solā t sociabis.

Lr̄a terminalis r facit sex terminatiōes. s. ar. er. ir. or. ur. & yr. ut cæsar pater gaddir doctor sulphur martyr. Lr̄a terminalis facit nouē & uiginti terminatiōes. quarū sex sūt ubi uocalis p̄cedit s. s. as. es. is. os. us. ys ut mas pes ignis honos corpus erinnys. Quīqꝫ sunt in bs, ut arabs. plebs chalibs scobs urbs. Vna in ls. ut puls. Vna in ms. ut hyems. Quīqꝫ in ns. s. ans ens ons uns yns, ut glās mēs mons quincuns thyryns, cuiꝰ gtīs est thyryntos & c nomē urbis. Quattuor terminatiōes sūt in ps. ut daps adeps stips cyclops. Itē quattuor in rs. ut ars iners mors tyburs nomē gētile. Itē duæ sunt terminatiōes in s p̄cedēte diphthōgo. s. æs & aus, ut pręs & laus. Itē una est terminatio in irps. ut stirps. Et ita sunt uiginti nouē terminatiōes de litera s. & possent plures formari. si uelimus cū Priscia. distinguere as longū & as breue. es longū & es breue. is longū & breue. us longū & breue. T facit tm̄ unā terminationē. s. ut, q̄d ꝓbat caput. Nam alia nomina in t. u non pręcedente nō declinātur. ut gīt schārioth sabaoth & c.

X X cum vocali patietur qualibet addi
Alx dabit anx arx vnx. ut calx lanx arx quoqꝫ cōiunx

Lr̄a termīalis x facit decē terminatiōes scd̄m alexādrū. s. ax. ex. ix. ox, ux yx. alx. anx, vnx. arx. ut fornax cilex ilix uelox redux. styx falx lanx coniunx arx. Addūt q̄ttuor termīatiōes. s. æx ꝑ diphthō. ut fæx. aux ut faux erx ut merx. ynx ut syrinx. Vocabulorū iterp̄tationē dicemꝰ de gtīs

Gtīus A Format nomen in a genitiuū tis sibi iuncta.

Noīa tertię decli. in a assumūt tis in gtō. ut dogma huiꝰ dogmatis. aroma aromatis. Nota qꝫ noīa tertiæ declinatiōis in a. sic debēt agnosci. quia omīa sunt neutri. g. hn̄tia m an̄ a. suntqꝫ græca uerbalia. Veteres tn̄ usurpabāt aliqua scd̄m primā declinationē. ut poema & syrma & schema. au
Drachma ctore Priscia. Dragma ē adhuc primę & tertię decli. Sed scd̄m diuersa
Dragma significata diuersāqꝫ scripturā, nā drachma p. ch. ꝓ pōdere uel nūmo ē pri
Drama mæ decli. & fei. g. Dragma uō p g, ꝓ manipulo ē tertię & neu. g. Drama matis est genus carminis uel actio, quod nomē illitterati scribunt per g

Doma.i.domus.Salomõ.Melius ẽ ſedere in angulo domatis ꝙ cũ mulie ere litigioſa. Aroma ſigni.ungẽtũ uel odoramẽtũ.Dogma ſigni.decretũ uel ſtatutũ nõ ſignificat doctrinã,nec formaẽ a doceo cũ ſit grecũ nomen. Doma Aroma Dogma

E

Is facies ex e ueluti mare ſiue cubile

Nomẽ in e deſinẽs mutat e in is in gtĩo,ut mare maris.cubile is. Nota ꝙ hęc regula intelligiẽ de latinis noĩbus,quia græca hñt es in gtĩo.ut phebe phebes &c.de quibus infra.Itẽ aliqua in e ſũt indeclinabilia , ut quinqꝫ mille & cepe. Mãtile eſt peplũ q̃ manus tergũtur uel quodlibet peplũ Ouile eſt ſtabulũ ouiũ,ſicut bouile ſtabulũ boum.Equile ſtabulũ equorũ Porcile ſtabulũ porcorũ,Cõclaue a producta eſt cella cõcluſa,ein kamer Alia quære de generibus. Mantile Ouile Conclaue

O

Onis habens ex o.Sed inis do perficit et go
Fœmineo genere.nemo ſociatur homoqꝫ
Ordo uel margo cardo cum turbine uirgo
Sic et apollo facit.britoniſqꝫ brito.caro carnis

In O deſinẽtia noĩa onis faciũt in gtĩo o,ꝓducta.ut aquilo aquilonis, ligo onis.ꝑdo.onis &c.Sed feĩa deſinẽtia in do & go hñt inis,ut albedo albedinis.cupido.grãdo.arũdo.ſartago.uorago.&c.Itẽ homo nemo ordo margo cardo uirgo turbo & apollo habẽt inis,caro facit carnis.Gentilia in o breuiãt onis,ut macedo brito ſaxo,hæc tamẽ interdũ o,ꝓducũt, Luca.Lõgiſqꝫ leues ſaxones in armis.Martia .Quã ueteres bracce britonis pauperis & quã.Sed hic brito uidetur ꝓpriũ uiri. Nota ꝙ ab iſta regula (Sed inis do ꝑficit & go)excipiẽ hoc nomẽ dido,quia cũ ſit fe.g.habet tñ onis in gtĩo.Etiã habet didus,qa(ut ait Priſci.)gręca noĩa in o lõgũ hñt in gtõ us more gręco,uel onis more latĩo.ut caliſo huius caliſus uel caliſonis.clio clius et clionis.Oui.Nec mihi ſũt uiſę clio cliuſue ſorores.Item preſto põdo argo echo & pſeudo nõ declinantur. Aquilo ẽ uẽtus quidã nortuuynt,uel ẽ illa pars mũdi.Paro ẽ nauis ꝑdatoris.ein roubſchiff.Pero ẽ calciamẽtũ ruſticũ & magnũ.Peronatus.i.peronibus indutus . Predo.i.raptor qui predã aufert.Cerdo qui uẽdit coreũ,uel mercator quilibet.Ligo ẽ ferramẽtũ curuũ q̃ purgãtur foſſę.Mãgo qui uẽdit hoĩes,uel alias res.Spado qui caſtratus ẽ.Capedo ẽ uaſculũ fictile.i.de terra factum Intercapedo .i,diſtãtia uel differẽtia.Crepido i lõgo ẽ magnus lapis ſicut ponitur ſup ſepulchra.Libido.i.delectatio,& ꝓprie carnalis.Formido.i. timor.Inde formidoloſus.i.timidus.Grãdo hagel.Vir.Tã multa intectis crepitãs ſalit horrida grãdo.Arũdo ryt.Hirudo ẽ uermis aquaticus ſugẽs ſanguinẽ,ein egel.Teſtudo ẽ animal teſta tectũ, ein ſchneck . Poniẽ ꝓ cythara.Hora.Saxa mouere ſono teſtudinis & prece blãda. Accipitur ꝓ camera.i.lapideo tecto.ein guuelb.Indago eſt inquiſitio. Vnde uerbum Aquilo Pero Paro Predo Cerdo ligo. mãgo Spado Crepido Libido Formido Arundo Hirudo Teſtudo Indago

Propago
Fuligo i ndagare.i.inquirere.Propago est ram⁹ uitis infixus terrę.Etiã est proge
Caligo nies.Pruden.O clari saluete duces generosa propago.Iñ propagare.i. di
Albugo latare,verbreyten.Fuligo est crassus fum⁹.teu.roet.Caligo.i.obscuritas
Ferrugo uel ignorãtia.Iuue.Et genus humanũ dãnat caligo futuri. Albugo est al
Erugo bedo uel alba macula.Ferrugo est color ferri uel purpura uel nigredo
Salsugo Erugo est rubigo æris uel uiride super pecuniã antiquam. rost . Salsugo
Salsilago est salsus humor.saltzvuasser.Salsilago idem.

Lac lactis ponit, halec halecis habebit.

Lac in gtõ habet lactis.halec halecis. Alia noĩa in c terminata non decli
nãtur.ut isaac.melchisedec.amalec. Tñ baptista declinauit melchisedec.
Lac Pectore sacrifici melchisedecis erat.Lac est succus uberum.Inde lacteus
.i.de lacte factus,uel alb⁹.Lactare.i.lac dare uel decipe.Antiqui dicebant
Halec lacte in ntõ scđm Prisci.Halec ẽ quidã piscis.& quidã liquor ciboꝵ ein he
ring. Alia sũt ꝑpria noĩa uirorũ

Is post l pone, sed lis mel felq; dedere
Al **Al alis longam dat neutro, cætera curtam.**
El Ol **Curtam pone salis, longam dant elis & olis**
Vl Il **Vl dat ulis, il ilis, consul pugil est tibi testis**

Noĩa desinẽtia in l in formando gtõ accipiunt is.ut animal animalis. sol
solis.Sed mel & fel accipiunt lis in gtõ.ut mellis,fellis, Subdit Alexander
de ꝗtitate uel accentu dicens ꝙ nomina neutri,g.in al producunt in ob
liquis.ut vectigal puteal,Reliq in al corripiunt a in obliqs,ut hanibal,has
drubal Sal qꝫ corripit a. Vir.Et salis occultum referunt in lacte saporem
In el & ol desinentia ꝑducunt penulti.gtĩ.ut Daniel danielis,sol solis. In il
& ul terminata corripiunt penulti.obliqꝵ,ut uigil cõsul,Nota ꝙ multa
nomina in l terminata sunt indeclinabilia,ut nil & nihil & multa barbara
ut baal tubal betel bel nicol,Item abel israel michael saul qñqꝫ legũt de
clinata,qñqꝫ nõ,ut rex israel uel israelis,Baptista,Pinguibus & priscũ do
Animal nis ĩmittet abelẽ,Saul inuenit u producere in obliquis, sed usus corripit,
Vectigal Animal est corpus animatum sensibile,uel quicquid habet animam sensi
Minutal tiuam.Vectigal ẽ tributum uel reditus, Tul .Non intelligunt homines
Puteal ꝗtum uectigal sit parsimonia . Vectigalis.i.dans uectigal.Minutal est q
Subtel dam cibus ex oleribus aut carnibus minutim cõcisis.Puteal ẽ operculum
Melis putei.Subtel ẽ cauum pedis.Mel & fel nota sunt.Et hæc duo nomina du
Felis plicant l ĩ obliquis causa drñę,nam melis & felis sunt alia nomina.Melis
Pugil ẽ animal magnitudine vulpis duro corio,de q̃ fiunt pharetrę.Felis ẽ ani
Mugil mal quod vulgo cattus uocat.Pugil qui pugnat singulari certamine Mu
Consul gil quidam piscis qui in metu caput abscondit.Consul est qui vulgo di
Presul citur magister ciuium.Procõsul qui foris gerit consulatum. Presul dicit
Exul

episcopus. Exul qui exulat, uel expulsus est urbe.

An erit is iuncta, fietq́ penultima longa An

Nomē in an desinēs in gtō accipit is & producit in obliquis, ut titan titanis. pean peanis q̄d etiam habet peantis. ut mox dicet̄. sicut euan. tis. hęc oīa sunt grȩca, quare etiam hn̄t os in gtō, ut pan panos. Vir. Parrhasio dictum panos de more lycei. Sunt & barbara in an q̄ nō declinantur, ut aman laban, Titan fuit frater saturni, alio nomine titan⁹. & ponit̄ pro sole, Oui. Nullus adhuc mundo p̄bebat lumina titan. Pȩan dicit̄ apollo, etiam significat carmē aut laudē. Vir. Lȩtum pȩana canētes. Pȩana ē græc⁹ actūs. Itē Pȩan ē nomē ꝓpriū uiri, & tuuc gtm̄ habet pȩantis. Pan huius panis uel panos ē fabulosus de⁹ naturȩ uel pastorum. Pan h⁹ pantos significat om̄e. Iñ pātomim⁹. i. ioculator, om̄ia gestib⁹ imitans. Pandecta. i. oīa cōtinēs. Euan ē nomē bacchi, Vir. Illa choros simulās euātis origia circū. Titan Pȩan Pan Euan

E super n dat inis curtā, sed deme lienis Itē & pellicā nō legit̄ En

Renis sirenis splenis, sed in dabit inis

Desinētia in n hn̄t inis curtam in gtō, ut numē sumē flumē inguen. Sed lien ren syrē splē hn̄t enis productum, qbus addunt̄ hymen seben damen anien & troezen, q̄ etiam habēt enis productum, teste Pris. Quorū ntūs ē in producunt inis in gtō, ut salamin delphin. q̄ sunt grȩca. Cain & reliq̄ barbara nō declinant̄. Numē ē de⁹ uel diuina potestas. Sumē ē uber suis cum lacte suo assatū. Persi⁹. Calidū scis ponere sumē. Abdomē o lōga significat id q̄d sumē, uel ē pinguedo vētris. Inguen ē pudēda ps corpis. Iuue. Inguinis & capitis q̄ sint discrimina nescit. Gluten ē uisc⁹. lym. Inde glutinare. i. cōiungere. Bitumē ē tenax humor. Lien & splē idē significāt scilicet q̄ddam intestinū, das miltz, Lienosus & spleneticus. i. qui male habet in splene. Ren uel rien q̄ddam intestinum, die nyrē Renunculus paruus rē. Syren dicit̄ mōstrum marinum supne mulier inferne piscis. Accipit̄ pro meretrice. Hora. Vitāda ē improba syrē, Damē & sebē sunt virorum nomina. Anien ē qdā fluui⁹ ꝓpe romā. Luca. Quas anienis aquas &c. Etiā dicit̄ ano in ntō. Reliqua uocabula quȩre de generibus Numen Sumen Abdomen Inguen Gluten Bitumen Lien Ren Syren Damen Anien

On sibi copulat is, sed quædam propria dant tis On

Noīa q̄ desinūt in on accipiūt is in gtō, ut simon simonis. Sed quȩdā propria uirorū noīa assumūt tis. ut stilbō stilbōtis, demophon charon leon. Et quȩdā ꝓpria fluuiorū. ut acherō phlegeton. Itē quȩdā appellatiua hn̄t ontis. ut horizon. chameleon byson. Nota q̄ multa noīa in on producūt o in obliquis. ut agon artemon lacon python trigon triton, Itē quȩdā noīa urbiū & locorū. ut babylon sidon. ancon. ascalon hericon citheron. Itē multa ꝓpria uirorū. ut symeon damon absolon gedeon salomon solon egon dion endimion sinon chiron, Sequentia nomina corripiunt o. canon dæmon sindon lacedemon, gnomon hyperion gorgon halcyon.

strymō. Itē multa ꝑpria uirorū. ut Acteon arion mēnon agamēnon echion pādon iason eson amphion machaon licaon palemō philemō. Quae oīa ꝑducūt penul. nī, & corri. penul. gti. Orion inuenitur qnqꝫ o ꝑducere, quādoqꝫ corripere. Luca. ꝑduxit o. Ensiferi nimiū fulget latus orionis Statius corripit o. Atqꝫ auro rude fulmē habēt orionis alti. Sic Oui. Aut helicen iubeo strictūue orionis ensem. Simō qqꝫ quod usus corripit, o qn qꝫ ꝑductū legitur. Iuuēcus, ille simonis erat tectis quē lurida lepra. Nota ꝙ dicitur simō uel simo, pluton uel pluto, caton uel cato. &c. Agon. i. certamē. Artemō ē genus ueli. Python est species serpētis. Tritō animal marinū. Trigō quidā piscis uenenosa cauda. Lacon aliquis de laconia, sed laocoon ontis nomē uiri. Aedō per tres syllabas e lōga gręce dicitur philomela. Canon. i. regula. Dæmō. i. peritus uel sciens Cacodęmon. i. malus dæmon. Lacedęmō quędā urbs. Gnomon interꝑtatur cognitor, & ē stylus in medio horologij umbra sua indicās horas. Halcyon est auicula marina q̄ in hyeme oua ꝑducit & pullos, ein ijs vogel. Hyperion ponitur ꝑ sole. Tulli. Vt cū luna means hyperionis officit orbi. Orion quoddā sydus uel celeste signū. Horizon dicitur terminus uisus nostri. Byson quoddā animal ferum simile tauro. sed iubas & pillos habens ein vuyld ochs Chameleon est animal quod solo uento pascitur.

Agon
Phiton
lacō. i. Aedō
Canon
Dæmon
Gnomon
Halcyon
Hyperion.
Horizon
Chameleō

Quod nomen propriū. quod nō ita sit tibi notum
Id propriū dices quod non notat vniuoce res
Plures. namqꝫ duo sensu non signat in uno
Non licet vniuoce proprium tibi plura notare
Appellatiuis uarias res vniuocabis

Nomē ē duplex, ꝑpriū & appellatiuū. Propriū nomē est q̄d uniuoce significat unā rē. ut petrus ioānes paulus. Nā licet ꝑpriū nomē qnqꝫ plura significat, hoc nō est uniuoce sed equiuoce. Vniuoce. i. uno noīe & una ratione. Equoce. i. uno noīe sed diuersa rōne, ut ꝙ petrus significat p̄res homines nō ē una rō sed diuersa. Appellatm̄ nomē ē q̄d uniuoce plura significat. ut hō lapis lignū. Nota scd'm Prisci. ꝑpriorū noīm q̄ttuor sūt spēs. s. p̄nomē nomē cognomē & agnomē. Pręnomē ē q̄d p̄ponitur noī cā drñę & sępe scribitur una lr̄a. ut Caius marcus publi⁹. Nomē ē cuiqꝫ suū ꝑpriū ut uirgilius tullius. Cognomē e q̄d signifi. cognationē uel totā familiā. ut scipio cicero cesar. Agnomē ē q̄d īponitur ex aliq̄ euētu, ut africanus creticus atticus Qnqꝫ tn̄ cognomē ꝑ agnomīe ponitur apud auctores. Nota ꝙ idē nomē qnqꝫ ē ꝑpriū et qnqꝫ appellatm̄, ut murena scipio lupus catulus Murena cū ē appellatm̄ signi. piscē quedā. Scipio cū appellatm̄ ē significat baculū q̄ ābulātes utūtur. Catulus p̄dictū ē. Et hęc oīa etiā sūt nomina ꝑpria uiroꝝ. Alia his sīlia habes de generibus, ibi (Mascula sunt)

Murena
Scipio

Is post ar pone, sed far facit r geminare
Quæ primaria sunt nisi naris curta manebunt
In deriuatis neutro producitur aris
Excipias iubaris dic nectaris epatis epar
Simpliciū norma formabis compositiua

Noīa in ar termīata accipiūt is in gtō, ut par paris, Sed far assumit tis quia habet farris, Ab hac regl'a Is post accipit epar, cuius gtūs ē epatis, Et lar cū ē ꝓpriū nomē habet lartis, teste Prisci. Excipiūtur etiā indeclinabilia, ut instar & noīa barbarorū, tamar agar baltazar, ꝙ tñ qnq declinat, Instar ueteres declinabāt. Subdit Alexā. de qtitate horū obliqrū dicens ꝙ primitiua in ar breuiāt a ī obliqs, ut arar par baccar iaspar aspar bostar et cętera ꝓpria. excipiūt nar qd ꝓducit a, Deriuata vero neu. g. ꝓducūt a ī obliqs, ut altar exēplar specular subligar cochlear calcar lupanar &c. Hic excipit iubar qd a cor, Epar aūt & nectar qui's a breuiāt. tñ hic nō sūt excipiēda, quia nō sunt deriuata cū sint gręca. Cęsar uero quis deriuatum tantum sit, tñ nō cōtinet sub regula, cū nō sit neu. g. Itē ille uersus Asparis usus habet. ē supflu', quia aspar & bostar cōtinētur sub regula, q prima- ria sūt. & sūt ꝓpria uirorū. Nec bostar signi. stabulū boum ut indocti delirāt, Far ē spēs frumēti qd uulgo spelta uocat, Lar ē domus. Lares olim dicebātur dii domestici, Arar qdā fluui' gallię, Baccar quędā herba. Dicit etiā araris & baccaris in ntō. Altar. i. altare. Prudē. Altar tepescit fletibus. Calcar ein spor, Oui. Expedit admisso subdere calcar equo. Exēplar est ad qd facimus aliud. unde ponit ꝓ libro ex q scribimus, Lupanar est domus lupę. i. meretricis. Puluinar ein kussen uel lectus Iuuenalis, Feda lupanaris tulit ad puluinar odorē, Specular est per qd speculamur scilicet fenestra. Torcular est pliū q torquētur vuæ. ein vuynpresz. Subligar i curtauelamē qd circūligat lūbis. Laquear. i. testudo domus uel cōnexio trabium. Lacunar idē, Instar ē magnitudo uel imago, etiā significat ad imaginē, Vir. Instar mōtis equū diuina palladis arte. Edificāt. Ad instar nō recte dicit scd'm Seruiū, tñ aliq usurpāt, Nectar ē dulcis pot' Naso. Flumina iā lactis iā flumina nectaris ibant, Epar græce Iecur latine, & gręce scribitur per ita in principio, quare primā syllabā ꝓducit, Iubar est sol, dictus ꝙ iubas. i. radios emittat, ponit ꝓ splēdore, Nar est fluuius quidam Sed naris dicitur foramen nasi.

Far Lar
arar. baccar
Altar
Calcar
Exēplar
Lupanar
Puluinar
Specular
Torcular
Laquear
Lacunar
Instar
Nectar
Epar
Iubar
Nar
Er

Er tibi præbet eris, cer mobile vertitur in cris
Ter per tris forma. sint iupiter ac iter extra
Ether siue later clister ꝙ character eris dant

Ver crather panther mulier ſtater eris habebũt
Imber cum natis, celeberq; ſaluber habẽt bris

Noĩa ĩ er deſinẽ. hñt ĩ gtõ eris e curta. vt aer agger carcer anſer celer. Sʒ ad
iectiua in cer faciũt cris. vt acer acris, alacer cris volucer cris. In ter exeũ-
tia tris hñt. vt pater mater uẽter vter, Excipiũtur later ether character cli
ſter & luter quę hñt eris e curta ſcd'm vſum, ꝗ̃uis vltima tria uerius ꝓdu
cant e in obliquis. Itẽ ſtater alter. preſter ſoter panther phyſeter hñt eris e
ꝓducta, & ſũt gręca nomĩa. Excipitur etiã iter iteris uł itineris, de quo in-
tra. Et iuppiter, tris vel teris ſcd'm Priſcia. ſicut opiter, dieſpiter marſpiter
hñt tris uł teris in gtĩo, ſed ſcd'm uſum iuppiter habet gtm̃ cõmodatũ .ſ. io
uis q etiã ñtũs eſt apud Apul. Quẽ tremit ipſe iouis quo numina terrificã
tur. Item ver & mulier ꝓducũt e in obliquis. Imber ſeptẽber october no
Aer uẽber decẽber celeber ſaluber hñt bris in gtĩs, Aer der luft Iñ aereus ad-
Agger iectiuũ. i. ad aerẽ pertinẽs vł altus, Agger eſt alta terra oppoſita aquæ, a
Anſer uerbo aggero Anſer eſt auis latis pedibus, quã indocti uocãt auchã. Iñ an
Carcer ſerin⁹, a um, ut anſerinus pes. Carcer eſt locus clauſus vbi coercẽtur & in-
Acer cludũtur aliq, Acer adiectiuũ. i. fortis uel dur⁹ vł acut⁹. Et ſic habet acris
Vter in gtĩo. Vter eſt vas de corio factum vel ſaccus de pelle. Vtriculus. i. par
uus uter. Vñ vtriculari⁹ dicit̃ q canit tibijs infixis vtriculo, & uocãt̃ tibię
Later vtriculares. Later eſt lapis coctilis, ein bachſtein. ſed ſingulare nõ ẽ in uſu
Ether præter actm̃, ꝑpter hoc nomẽ latus. Ether eſt ſupremũ elemẽtum. ſ. ignis
Character & ponit̃ pro cœlo. Character. i. forma uel ſignũ, græcũ nomẽ eſt, ſicut e-
